Caput II.

Multo latius alius numerorum tractandorum usus patet, ex quo res, cuius certus quidam numerus indicandus est, cum ipso illo numero in unum vocabulum confunditur atque conglutinatur. Oriuntur hoc modo composita, quae Curtio auctore vocare placet attributiva [1]), quorum apud tragicos graecos permagna reperitur copia. Ut enim omnino inter linguam graecam et latinam hoc maxime interest, quod illa quae erat eius facilitas atque volubilitas magnopere indulgebat compositis variis ingeniose formandis, haec gravitate quadam atque rigore impedita aurea quidem aetate magis simplicitati studebat, [2]) ita inter scriptores graecos praecipue tragici in novis compositis fingendis audacius exsultaverunt atque sui quisque ingenii artificiique documenta dederunt. Quod non minime cadit in Euripidem, ut iure quodam cum Longino (c. 40) „ὁ τῆς συνθέσεως ποιητής" vocari possit. Summo praesertim studio favet Euripides compositis attributivis, quorum pars prior a numeris repetita est. Nec mirum. Efficitur enim eis eximia quaedam breviloquentia, quae utique contraria est ambagibus verbosae atque ieiunae rerum enumerationis. [3]) Cum enim haec composita maximam partem adiectivi vice fungantur, simpliciter ei substantivo adduntur attributa, cuius qualitatem eis significare volunt poetae. Duo igitur vocabula in unum coalescunt, quod duorum genetivorum qualitatis munus suscipit.

Sed iam singula composita Euripidea, quae huc pertineant, percenseamus. [4]) Ut vero via quadam et ratione progrediatur disputatio nostra, placet rursus a μύριοι (μυρίος) voce exordiri,

---

[1]) Haud sum nescius alios viros doctos aliam ad composita digerenda vocandaque viam ingressos esse. Cfr. *Clemm „Die neusten Forschungen auf dem Gebiete der griech. Composita"* in *Curtius' Studien VII, 2. p. 1 sqq.* Sed cum hic de numerorum maxime usu explanando agatur, simplicissima illa dividendi ratio, quam a grammaticis indicis petitam Curtius in linguam graecam transtulit, nobis sufficere videtur. Quamquam fatendum est, etiam sic non semper facile esse ad diiudicandum, cui classi quodque compositum ascribendum sit.

[2]) Qua de re iudicium exstat ipsius Livii, idonei sane iudicis, *XXVII, 11, 5: faciliore ad duplicanda verba Graeco sermone.* Cfr. etiam Quintilianus, qui postquam antea de compositis Latinis exposuit, sic pergit *(institut. orat. I, 5, 70): sed res tota magis Graecos decet, nobis minus succedit.*

[3]) Liceat hac de re testem producere Guilelmum Humboldt, qui quam mire in intimam linguarum naturam se quasi insinuaverit nemo ignorat. Cuius in libro, qui inscribitur: *Ueber die Verschiedenheit des menschlichen Sprachbaues § 23. (Ges. Werke VI p. 327 Berlin 1848)* haec leguntur: *Es ist offenbar von grosser Wichtigkeit, wie viel eine Sprache in Ein Wort einschliesst, statt sich der Umschreibung durch mehrere zu bedienen. Auch der gute Schriftsteller übt hierin sorgfältige Unterscheidung, wo ihm die Sprache die Wahl frei lässt. Das richtige Gleichgewicht, welches die griechische Sprache hierin beobachtet, gehört gewiss zu ihren grössten Schönheiten. Das in Einem Worte Verbundene stellt sich auch der Seele mehr als Eins dar, da die Wörter in der Sprache das sind, was die Individuen in der Wirklichkeit. Es erregt lebendiger die Einbildungskraft, als was dieser einzeln zugezählt wird. Daher ist das Einschliessen in Ein Wort mehr Sache der Einbildungskraft, die Trennung mehr die des Verstandes.*

[4]) Cfr. *C. Rieck „de adiectivorum compositorum usu Euripideo" progr. Neustrelitz 1877*, qui cum in universum de compositis Euripideis ageret, rem, quae nobis proposita est, perstrinxit magis quam exhausit. Idem fere valet de dissertatione, quam scripsit *„de epithetis compositis in tragoedia graeca usurpatis" J. Schmidt, Berlin 1865.* Doleo vero, quod mihi non contigit, ut inspicerem libellum viri doct. *Roemheld,* qui et ipse *„de compositorum apud Euripidem usu et formatione"* disputavit *Giessen 1877.* — Composita, quae a numeralibus incipiunt apud Pindarum, collegit *Braeuning „de adiectivis compositis apud Pindarum", pars prior. progr. gymn. Alton. 1880 p. 45 sq.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

unde paulatim ad minores numeros descendendum erit. In universum autem liceat praefari omnes tres tragicos raro admodum adiectiva cum *μυρίος* copulata usurpare, fortasse ideo, quod huiusmodi vocabula nimis sermonem vulgarem redolebant. Inveniuntur in Euripidis fabulis tria tantum atque semel unumquodque: *μυριόκρανος**, *μυριοπληθής**, *μυριοτευχής** [1]). Sic Herc. fur. v. 419 poeta Lernaeam hydram, quam Phoen. v. 1135 (vide supra p. 5) centum capitibus instruxit, vocat *μυριόκρανον ὕδραν*, ad quae recte Wilamowitz in editione sua adnotat: „*die häupterzahl schwankt für die Hydra wie für den Kerberos, sowol in der poesie wie in der bildenden kunst, weil nur die vielheit wesentlich ist.*“ — Iam *μυριοπληθής*, quod idem fere valet atque *πολυπληθής* i. e. innumerabilis, legitur Iphig. Aul. v. 571, ubi habes coniuncta *κόσμος μυριοπληθής*, quae verba mire profecto dicta, si sana sunt, quin cum Hermanno „*de modestia* (virorum) *plurimis in rebus conspicua*“ intellegenda sint, vix potest dubitari. — Restat excutiendus locus Iphig. Taur. v. 140 sq., ubi Agamemnonem chorus narrat ad Troiam venisse *κλεινᾷ σὺν κώπᾳ χιλιοναύτᾳ μυριοτευχεῖ* [2]), quae explicari solent: cum clara classe mille navium innumerabilibus armatis completa. Est igitur *κώπη μυριοτευχής* hoc loco admirabili breviloquentia usurpatum pro *κώπη* (= *στόλος*) *μυρίων ἀνδρῶν τευχεσφόρων* [3]), *χιλιοναύτης* vero eodem sensu positum videtur, quo alioquin breviore forma occurrit *χιλιόναυς* (= *χιλίων νεῶν*). Atque nititur quodammodo haec explicatio loco Aeschyleo, qui haud dubie Euripidis animo obversatus est. Agam. v. 45 enim Menelaus et Agamemno dicuntur contra Troiam in altum eduxisse *στόλον Ἀργείων χιλιοναύτην*. Sed vide ne melius sit cum Petro Dettweiler (*Ueber den freieren Gebrauch der zusammengesetzten Adjectiva bei Aeschylus, progr. gymn. Giessen 1882 p. 8*) *χιλιοναύτης* interpretari „Tausendschiffer“ (= *χιλίων ναυτῶν*), quod haud scio an de navium singularum praefectis vel rectoribus *κατ' ἐξοχήν* intellegi possit, ita ut etiam hac interpretatione accepta circuitione quadam mille navium classis indicetur, cfr. Suppl. v. 508: *σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασὺς νεώς τε ναύτης*. Sed quoniam disputatio nostra iam delapsa est ad composita numeri *χίλιοι* ope formata, adiungamus statim locos, quibus *χιλιόναυς** occurrit de eadem expeditione Troica usurpatum. Exstant Or. v. 352: *χιλιόναυς στρατός*, Rhes. v. 262 similiter: *χιλιόναυς στρατεία*, Iphig. Aul. v. 174: *ἐλάταις χιλιόναυσιν* abundante quodammodo posteriore compositi parte, cum navium notio iam insit in antecedenti voce *ἐλάτη*, denique Androm. v. 106: *ὁ χιλιόναυς Ἑλλάδος ὠκὺς Ἄρης*, quocum conferre libet *Philipp. epigr. 81, Anthol. graec. ed. Iac. tom. II p. 218* (235): *Ξέρξου μυριόναυς Ἄρης*. — Ceteroquin de numero rotundo, qui est in adiectivis *χιλιοναύτης* et *χιλιόναυς*, cfr. quae supra exposuimus pag. 6.

Transeunti iam ad ea epitheta, in quibus centenarius numerus inest, tria sese offerunt apud Euripidem: *ἑκατόστομος**, *ἑκατομπτολίεθρος**, *ἑκατογκέφαλος**, in quibus omnibus *ἑκατόν* numerus rotundus vel infinitus accipiendus est [4]), cfr. supra p. 5. Quod quam maxime apparet

---

[1]) Placet ea adiectiva composita, quae in Aeschyli et Sophoclis tragoediis non occurrunt, stellula* insignire, ut peculiaris Euripidis loquendi usus perspici possit.

[2]) Libri praebent *μυριοτεύχοις*, quod correxit Barnesius, quem iure secuti sunt Dindorf, Nauck, Weil, Wecklein.

[3]) Cfr. quae Koechly et Wecklein ad h. l. adnotaverunt.

[4]) Similem poetae epici usum illustrant adiectiva Homerica *ἑκατόμβοιος*, *ἑκατόγχειρος*, *ἑκατόζυγος*, alia id genus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bacch. v. 406, ubi ex vulgata interpretatione Nili fluctus dicuntur *ἑκατόστομοι βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαί*, i. e. barbari amnis fluctus, qui per centum ostia se effundunt. Sed cum totus locus e codicum auctoritate ita traditus sit: *Πάφον θ', ἂν ἑκατόστομοι Βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ Καρπίζουσιν ἄνομβρον* (ex certissima Matthiaei coniectura pro librorum scriptura *ἄνομβροι*), nescio an recte monuerit Wilamowitz *(Philologische Untersuchungen I p. 77 Berlin 1880)* verba illa esse intellegenda de arvis Paphiis fluvio quodam „multifido" irrigatis, ut iam Meinekii coniectura, ex qua recentissimi quidem editores omnes *χθόνα* pro *Πάφον* in textum receperunt, supersedere possimus. Atque haec Wilamowitzii explicatio quodammodo etiam eo sustentatur, quod alibi, quantum video, a poetis semper certo numero septem Nili ostia memorantur.[1]) Subiungo fragm. 472 v. 3: *Κρήτης ἑκατομπτολιέθρου*, quocum mirum in modum concordant Homeri verba *Il. II, 649: ἄλλοι θ' οἳ Κρήτην ἑκατόμπολιν ἀμφενέμοντο*[2]), ut iure contendas Euripidem hic Homeri vestigiis ingressum esse.

Iam vero *ἑκατογκέφαλος*[3]), quocum congruit Latinum centiceps *(Hor. od. II, 13, 34)*, bis occurrit in una eademque fabula. Herc. fur. v. 883 Lyssa, insaniae dea, sic depingitur: *Νυκτὸς Γοργὼν ἑκατογκεφάλοις*[4]) *ὄφεων ἰαχήμασι κτλ.* Fingit igitur poeta Lyssam Gorgonis instar serpentibus centum sibilantibus cinctam. *Ἑκατογκέφαλος* autem adiectivum, quod ex loci sententia non tam ad sibilos *(ἰαχήματα)* quam ad serpentes *(ὄφεις)* spectat, per enallagen q. v. more poetico substantivum principale secutum est[5]). — Contra ad ipsam serpentem eamque Lernaeam habes relatum *ἑκατογκέφαλος* Herc. fur. v. 1190, ubi Hercules dicitur liberos coniugemque necavisse *ἑκατογκεφάλου βαφαῖς ὕδρας* i. e. sagittis veneno centicipitis hydrae tinctis[6]).

Proxima etsi satis longo intervallo, siquidem numerorum ordinem respicis, sequuntur composita frequentissima, quae sunt primae decadis. Unum tantum hunc finem paullo excedit. Dico adiectivum *δωδεκαμήχανος**, quod cum proprie significet eum, qui gnarus est duodecim machinarum, Eur. fragm. 755 exstat figurate de sole usurpatum. Vocatur enim sol ab Euripide *δωδεκαμήχανον ἄστρον*, cum duodecim signa orbis signiferi transeat. Simile quid igitur hoc loco declarat *δωδεκαμήχανος* atque Pindari *δυωδεκάδρομος (Ol. II, 55)*, sed multo speciosius atque audacius est dictum. Ipsa autem audacia, quae inest in usu Euripideo, videtur causa fuisse, cur Aristophanes *Ran. v. 1327* eum irriserit — si modo irrisit; scholiis enim his in rebus non semper fidem habendam esse satis constat. — Iam ad epitheta cum *δέκα* coniuncta me converto. Sunt tria: *δεκάμφορος**, *δεκέτης*, *δεκάσπορος**. — Cycl. v. 388 Polyphemo ut viro maiori quam pro humano habitu attribuitur *κρατὴρ δεκάμφορος* i. e. crater, qui decem amphoras continet. —

---

[1]) Cfr. *Aesch. fragm. 304, 2*, ubi vocatur Nilus *ἑπτάρροος*, *Mosch. I v. 51*, ubi exstant: *ἑπταπόρῳ παρὰ Νείλῳ*; *Verg. Aen. VI, 800: et septemgemini turbant trepida ostia Nili; Ovid. Metam. I, 422: septemfluus Nilus*, ibid. *V, 187: genitum septemplice Nilo; XV, 753: septemflua flumina Nili; Am. II, 13, 10*: (Nilus) *per septem portus in maris exit aquas.*

[2]) *Odyss. XIX v. 174* Cretae nonaginta tantum urbes attribuuntur!

[3]) Apud Pindarum respondent *ἑκατόγκρανος, ἑκατοντακάρανος*, quod etiam Aesch. Prom. v. 353 traditum est, denique *ἑκατογκεφάλας*; cfr. *Braeuning l. l. p. 46.*

[4]) Cod. *ἑκατὸν κεφαλαῖς*, quam vitiosam scripturam omnium recentiorum editorum consensu correxit Reiskius.

[5]) Doctissime de hac figura poetica nuperrime disseruit Wilamowitz ad v. 468 et 543 huius fabulae.

[6]) Cfr. etiam *Ar. Ran. v. 470 sqq.*, in quibus cum alia tum verba *Ἔχιδνα ἑκατογκέφαλος* Euripidis dictionem sapere videntur, quem his versibus irrideri testatur scholiasta. Aliter quidem hac de re iudicavit Wilamowitz: *Analecta Euripidea* p. 171 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Δεκέτης vero et *δεκάσπορος* adiectiva adhibentur de bello Troiano per decem annos extracto. Sic loco haud dubie corrupto necdum emendato Androm. v. 305 labores decem annorum, quos Graeci Troiam obsidentes subire cogebantur, vocantur *μόχθοι (πόνοι) δεκέτεις*. Electr. v. 1152 sqq. Agamemno a Clytemestra coniuge mortifere vulneratus exclamasse dicitur: *ὦ Σχέτλια, τί με, γύναι, φονεύεις*[1]) *φίλαν Πατρίδα δεκέτεσι Σποραῖσιν ἐλθόντ' ἐμάν;* i. e. o facinus nefarium, cur me, mulier, interficis reversum caram in patriam post sementes decem annorum i. e. post decem annos. Ad illustrandam autem locutionem *δεκέτεσι σποραῖσιν* statim adiungo Troad. v. 20, ubi Neptunus dicit Graecos Troia eversa domum redituros exspectare ventum secundum *ὡς δεκασπόρῳ χρόνῳ Ἀλόχους τε καὶ τέκν' εἰςίδωσιν ἄσμενοι κτλ.* Hic verba *δεκασπόρῳ χρόνῳ* cum „post tempus decem sementium" significent, eandem fere vim habent quam supra *δεκέτεσι σποραῖσιν*. Tota autem haec dicendi ratio videtur repetenda esse a more antiquissimorum hominum, qui ex arationis sationisque tempore, utpote quod eis maximi momenti esset, annos numerare solebant. Eodem spectat quod et *ἄροτος* bis apud Sophoclem *(Trach. v. 69 et 825)* et alibi *ποιά*, quod etiam scholiasta ad Troadum versum confert, annum declarant[2]).

Omissis novenario et octonario numeris, quippe qui apud Euripidem non occurrant cum aliis stirpibus compositi, ad sanctum illum numerum septenarium accedamus, cuius vis ut apud alios antiquitatis populos[3]) ita apud Graecos satis magna erat. Tres vero res ab Euripide adiectivis cum septenario numero compositis illustrari solent, dico Thebas ornatas septem portis ac turribus superstructis, citharam vel lyram septem nervis intentam, denique septem Vergilias vel Pleiades. Quo in genere usui sunt adiectiva: *ἑπτάπυλος, ἑπτάστομος, ἑπτάπυργος*, ἑπτάφθογγος*, ἑπτάτονος*, ἑπτάπορος**. Sic vocantur Thebarum portae Suppl. v. 401 *πύλαι ἑπτάστομοι*[4]), portae, quae septem ora habent vel praebent, item moenia Phoen. v. 79: *ἑπτάπυλα τείχη*, Thebae vero ipsae Herc. fur. v. 28 *ἑπτάπυργος πόλις*, ibid. v. 782: *ἑπτάπυλος πόλις* (ex Stephani emendatione certissima), Bacch. v. 919: *πόλισμα ἑπτάστομον*, denique Thebanorum terra Phoen. v. 245: *ἑπτάπυργος ἅδε γᾶ*, quo loco Nauck quidem Heimsoethium secutus praeter necessitatem *ἑπτάπυργος* in *καλλίπυργος* mutavit. Circumlocutione utitur poeta Suppl. v. 1221 Thebas munitas nominans *ἑπτάστομον*[5]) *πύργωμα Καδμείων* et Phoen. v. 287 *ἑπτάστομον πύργωμα Θηβαίας χθονός*[6]), quibus locis Euripidis animo videntur obversati esse Homeri versus *Od. XI v. 263 sqq.*, ubi de Amphione et Zetho leguntur:

---

[1]) Ita iam Kirchhoff partim Seidlerum *(σχέτλια)*, partim Victorium *(φονεύεις)* secutus verba tradita *ὦ σχετλία . . . φονεύσεις* admodum probabiliter correxit. Quam lectionis codicum immutationem satis facilem in textum receperunt Nauck et Dindorf, cum Weil audacius quam verius scripserit: *Ὦ σχέτλιος ἢ γύναι φονεύσεις κτλ.*, quae idem valere vult, quod *ὦ σχετλία γύναι, ἢ φονεύσεις;*

[2]) Similiter maiores nostri antiquissimis temporibus non annorum, sed hiemum vel hiemum aestatumque numerum computare consueverant nec non dilucidas horum temporum circumlocutiones ex ipsa natura petitas adhibebant veluti: bî strô, bî grâse; im rûwen, im blôten; im rîse, im lôve, cfr. *K. Weinhold „Ueber die deutsche Jahrtheilung" Kiel 1862 p. 6.* Praeterea nostrum „Sommer" etiamnunc saepius poetarum more pro anno dici quis est qui nesciat?

[3]) Cfr. *Cicero somn. Scip. c. 18: septem . . sonos, qui numerus rerum omnium fere nodus est.*

[4]) Cfr. *Soph. fragm. 778, 1: Θήβας λέγεις μοι τὰς πύλας ἑπταστόμους.* — E contrario habes *Soph. Antig. v. 119: ἑπτάπυλον στόμα.*

[5]) Codd. *ἑπτάστολον*, quod quo iure Valckenarius correxerit, non est, cur pluribus exponam.

[6]) Sine iusta causa Nauck pro *χθονός* in textum recepit *πόλεως*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο
πύργωσάν τ', ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτόν γ' ἐδύναντο
ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερώ περ ἐόντε.

Hi versus simul nos docent iam ab Homero ἑπτάπυλος adiectivum de Thebis usurpatum esse [1]). Cfr. etiam *Il. IV, 406.* — Quae restant paullo audacius sunt dicta. Herc. fur. v. 543 Megara de Lyco, qui regnum Thebis occupaverat: τὸ Κάδμου ἑπτάπυλον ἔχει κράτος, quae eodem sensu intellegenda sunt ac si poeta scripsisset: Θηβῶν ἑπτάπυλον ἔχει κράτος = Θηβῶν ἑπταπύλων ἔχει κράτος [2]). — Phoen. v. 1058 sq. Menoeceus, Creontis filius, qui se pro Thebis patria devoverat, dicitur mortem obisse τὰ ἑπτάπυργα κλῆθρα γᾶς Καλλίνικα θήσων, quae scholiasta recte ita explicat: τὰς ἑπταπύλους Θήβας νικηφόρους καταστήσων. Significantur igitur hic Thebae munitae per ambitum verborum ἑπτάπυργα κλῆθρα γᾶς i. e. claustra terrae septem turribus instructa. Similiter in eadem fabula v. 1078 Iocasta sollicita nuntium interrogat: τί δ', ἑπτάπυργοι πῶς ἔχουσι περιβολαί; i. e. muri circumiecti septemque turribus instructi quomodo sese habent? [3]) — Iam ad alterum genus compositorum nos traducat scholion, quod exstat ad Phoen. v. 287: ἑπτάπυλος ἡ Θήβη κατεσκεύαστο, ὅτι πρὸς τὴν ἑπτάχορδον λύραν τοῦ Ἀμφίονος κιθαρίζοντος ἐτειχοδομήθη. Quae etsi fabulosa videntur, tamen id certe concedendum est, non casu factum esse, ut Thebae septem portis instructae traderentur [4]). Ἑπτάχορδος autem adiectivum, quod illo scholio lyrae attribuitur, explicat quodammodo adiectiva Euripidea ἑπτάφθογγος et ἑπτάτονος, de quibus nunc agendum est. Sed non prorsus idem valet. Bauer quidem ad Alc. v. 445 (458) vertit ἑπτάτονος *„siebenfach (mit Saiten) bezogen"*, sed mea quidem sententia iniuria. Non enim directe a verbo τείνω ipso, sed a substantivo τόνος derivandum videtur, ut sit compositum attributivum et cum Passowio vertendum: *„siebentönig"*. Quod ut statuamus, etiam analogia adiectivi ἑπτάφθογγος nos adducit, praesertim cum duo haec adiectiva ab Euripide, quod intellegam, plane promiscue usurpentur [5]). Ipsum hunc poetae usum illustrabunt loci singuli. Ut Apollini praecipue lyra vel cithara attribuitur instrumentum musicum, ita hic deus ut citharista invocatur a Creusa Ion. v. 881: ὦ τᾶς ἑπταφθόγγου μέλπων Κιθάρας ἐνοπάν, quae per se satis dilucida sunt. Idem Apollo Iphig. Taur. v. 1128 sqq. quasi κελευστής [6]) depingitur, qui Iphigeniam „ad strepitum citharae" domum prosecuturus sit. Verba chori, quibus Iphigeniam appellat, haec sunt:

ὁ Φοῖβός θ' ὁ μάντις ἔχων
κέλαδον ἑπτατόνου λύρας
ἀείδων ἄξει λιπαρὰν
εὖ σ' Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν.

---

[1]) Apud Pindarum Thebanum ἑπτάπυλοι Θῆβαι octies leguntur, cfr. Braeuning l. l.

[2]) Apte Wilamowitz comparans ad h. l. Suppl. v. 11 et 588, ubi Κάδμου πύλαι item leguntur pro Θηβῶν πύλαι, de Cadmi nominis tractatione his locis adnotat: *„dieser name hat oft mehr eponyme als persönliche bedeutung"*.

[3]) Et hoc loco et priore varia lectio ἑπτάπυλοι (ἑπτάπυλα) haud dubie glossam interpretis redolet. Nam utroque loco, cum de bello a moenibus propulsando agatur, ἑπτάπυργος adiectivum optime convenire nemo non videt.

[4]) Cfr. *Welcker, Griechische Götterlehre I p. 52.*

[5]) Eodem sensu apud Pindarum lyra ἑπτάκτυπος *(P. II, 70)* et ἑπτάγλωσσος *(N. V, 24)* vocatur.

[6]) Vide quae Koechly ad h. l. exposuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Herc. fur. v. 682 sqq. chorus gaudet se posse Herculis laudes canere *παρά τε Βρόμιον οἰνοδόταν Παρά τε χέλυος ἑπτατόνου μολπάν*[1]) i. e. inter scyphos (in vino) et ad septemchordis[2]) testudinis sonum.

Alc. v. 445 sqq. chorus Alcestim, quae pro marito mortem oppetivit, alloquitur:

πολλά σε μουσοπόλοι
μέλψουσι καθ' ἑπτάτονόν τ' ὀρείαν
χέλυν ἔν τ' ἀλύροις κλέοντες ὕμνοις,

quae verba dubitari non potest quin significent: saepe poetae te canent et ad testudinem septemchordem et carminibus epicis te celebrantes. Lyra autem hoc loco vocatur *χέλυς ὀρεία*, quia principio tegimine testudinis montanae confecta erat. Cfr. schol.

Relinquitur, ut locos, quibus occurrit *ἑπτάπορος* adiectivum, excutiamus. Quod cum *Hom. hymn. in Mart. v. 7* de septem stellis, „quae errantes et quasi vagae nominantur", reperiatur positum, apud Euripidem de septem Pleiadibus, quae septem cursus habent i. e. suum quaeque cursum servant, adhiberi solet.

Sic Iphig. Aul. v. 7 Sirius dicitur in caelo ferri *ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου Πλειάδος*[3]). Or. v. 1001 sqq. Electra, postquam antea rixae pestiferae inter Atreum et Thyestam de agno auricomo ortae mentionem fecit, ex vetere fama[4]) exponit propter epulas nefandas ab Atreo fratri appositas (*„τὰ ἐπώνυμα δεῖπνα Θυέστου"*) solis siderumque cursus plane inversos esse. Verba sunt haec:

ὅθεν Ἔρις τό τε πτερωτὸν
ἁλίου μετέβαλεν ἅρμα,
τὰν πρὸς ἑσπέραν κέλευθον
οὐρανοῦ προςαρμόσασα
μονόπωλον ἐς Ἀῶ,
ἑπταπόρου τε δρόμημα Πελειάδος
εἰς ὁδὸν ἄλλαν Ζεὺς μεταβάλλει[5]) *κτλ.*

E quibus ad nos pertinent praeter *μονόπωλον ἐς Ἀῶ*, quae infra suo loco tractabuntur, *ἑπταπόρου τε δρόμημα Πελειάδος κτέ.* Totum vero locum recte scholion interpretatur: *τοῦτο οὖν νῦν λέγει ὅτι μετὰ τὸ φανῆναι τὴν ἄρνα ἡ ἔρις τοῦ Ἀτρέως πεποίηκεν ἐπιδειχθῆναι τοῖς Ἕλλησι τὸν ἥλιον τὴν ἐναντίαν ἢ ὡς ὑπείληπται πορευόμενον καὶ τὴν Πλειάδα μηκέτι πρὸς δύσιν, ἀλλὰ πρὸς ἀνατολὰς ⟨ὁρῶσαν⟩.* — Adiungo Rhes. v. 529, ubi chorus, ut quid noctis esse videatur, indicet, verba facit: *ἑπτάποροι Πλειάδες αἰθέριαι*, quae apte expressit Fritze: *„siebengebahnt Ziehn die Pleiaden empor"*.

---

[1]) Cfr. *Hor. Od. III, 11, 3*: *testudo resonare septem Callida nervis.*

[2]) Ut serviamus brevitati, ita liceat vertere.

[3]) Quo iure hoc loco Euripides Sirium vicinum fecerit Pleiadibus, „mitto sectari", praesertim cum scripturam traditam Hermannus et Klotz optime defendisse videantur.

[4]) Cfr. *Plato Politic. p. 268 sq.*: *Ἦν τοίνυν καὶ ἔτι ἔσται τῶν πάλαι λεχθέντων πολλά τε ἄλλα καὶ δὴ τὸ περὶ τὴν Ἀτρέως τε καὶ Θυέστου λεχθεῖσαν ἔριν φάσμα . . . . . τὸ περὶ τῆς μεταβολῆς δύσεως τε καὶ ἀνατολῆς ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων, ὡς ἄρα ὅθεν μὲν ἀνατέλλει νῦν, εἰς τοῦτον τότε τὸν τόπον ἐδύετο, ἀνέτελλε δ' ἐκ τοῦ ἐναντίου, τότε δὲ δὴ μαρτυρήσας ἄρα ὁ θεὸς Ἀτρεῖ μετέβαλεν αὐτὸ ἐπὶ τὸ νῦν σχῆμα.* Eandem rem Euripides perstrinxit Electr. v. 726 sqq., ubi cfr., quae adnotavit Weil.

[5]) Coniecturas aliquot, quibus more suo Hartung hos versus vexavit, ut inutiles hic praetereo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Proximum locum teneant composita ea, quae a senario et quinario numeris incipiunt. Quae ut apud Aeschylum plane desiderantur, ita in Euripidis fabulis unum tantum vocabulum invenitur, quod huc pertinet: ἔκπλεθρος *[1]). Occurrit duobus locis, quibus ad stadii longitudinem sescentorum pedum indicandam usui est. Uti Electr. v. 883 sqq. Electra Orestem post Aegisthi caedem redeuntem victorem his verbis celebrat:

Ἥκεις γὰρ οὐκ ἀχρεῖον ἔκπλεθρον[2]) δραμὼν
ἀγῶν' ἐς οἴκους, ἀλλὰ πολέμιον κτανὼν
Αἴγισθον, ὃς σὸν πατέρα κἀμὸν ὤλεσε.

Quaeritur autem hoc loco, quo vox ἀχρεῖον referenda sit. Nam Camper ἀχρεῖον coniungens cum ἐς οἴκους vertit: *„redis enim, non inutilis genti tuae certaminis victor"*, cum Weil adnotet: *„Euripide déclare ici que les courses du stade sont inutiles, et que les Grecs ont tort de récompenser les vainqueurs des jeux gymniques"*. Videtur igitur Weil ita verba copulare: ἥκεις γὰρ ἐς οἴκους οὐκ ἀχρεῖον ἀγῶνα ἔκπλεθρον δραμών, latine: redis enim domum, non inutilis in stadio certaminis victor, i. e. victor redis atque non athletarum more rei inutilis causa nervos contendisti. Nec potest fieri quin haec interpretatio vera sit, praesertim cum etiam aliis locis a Weilio allatis Euripides se contemptorem athletarum eorumque artis praebeat. — Multo maioribus difficultatibus obstructus est alter locus Med. v. 1181 sqq., ubi tradita haec sunt:

Ἤδη δ' ἀνέλκων κῶλον ἔκπλεθρον[3]) δρόμου
ταχὺς βαδιστὴς τερμόνων ἀνθήπτετο·
ἡ δ' ἐξ ἀναύδου καὶ μίσαντος ὄμματος
δεινὸν στενάξασ' ἡ τάλαιν' ἠγείρετο.

Dicta sunt haec a nuntio de Creontis filia, quae Medeae donis pestiferis quasi intermortua collapsa est. Atque in universum horum versuum sententiam recte interpretari videtur scholion: τὸ διάστημα λέγει τὸ γενόμενον αὐτῇ, ἐξ οὗ ἄναυδος ἦν, μέχρις οὗ ἐφθέγξατο. Vult igitur nuntius significare, quoad intermortua ad se rediret, tantum fere temporis effluxisse, quo velox pedes stadii metam attingere posset. Dindorf quidem offendit in forma paratactica duarum sententiarum, sed, si quid video, sine iusta causa, cum ut omnino scriptores Graeci, ita Euripides haud raro in contentione aliqua facienda παράταξιν adhibeat. Cfr. *Wecklein* ad *Bacch. v. 902.* Nec magis mihi probatur Arnimii interpretatio, qui post v. 1182 supplet *„und immer noch war keine Hülfe zur Stelle"*. Nam hanc sententiam plane affingit atque de suo in verborum contextum infert. — In universum igitur horum versuum sententia expedita iam singula accuratius examinemus. Cum enim in verss. 1181 sq. ἄν particula desideretur, editores alii Schaeferum secuti scripserunt ἂν ἕλκων (Elmsley, Hartung, Nauck), alii cum Brunckio ἀνθήπτετ' ἄν (sic Pflugk), alii ex Musgravii auctoritate ἂν ἥπτετο (Porson). Rursus Arnim ex Useneri coniectura ἄν ἕρπων in textum recepit, Stadtmüller ἀμείβων, Hogan ἀνελθών, Herwerden ἑλίσσων commendavit, Rauchenstein vero mira audacia coniecit: ἤδη τρέχων μὲν κῶλον . . . Ταχὺς δρο-

[1]) Plenior forma ἐξάπλεθρος exstat Herod. II, 149. Consulas velim de duplici hac forma *Phrynichum ed. Lobeck p. 412 sqq.*

[2]) Traditum ἔκπλεθρον, quod sensu carere manifestum est, iam Reiskius correxit.

[3]) Aeque atque priore loco hic Reiskius spiritum asperum restituit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

μεὺς ἂν τερμόνων ἐφήπτετο, cum Weil pro ἀνέλκων ediderit ἀνειλῶν (revolvens), particulam ἄν non utique necessariam esse affirmans, qua in re haud scio an vir doctus erret. Denique Dindorf, ad cuius sententiam nuper Prinz accessit, duos versus ut spurios e textu removit, temere contendens eos ab interpolatore *propter praecedens πυκνοῖς δρομήμασιν confictos esse ex Electrae verss. 825 sq.* infra laudandis. Vides igitur hoc loco comprobari illud „quot capita, tot sensus". Nec magis consentiunt viri docti in explicandis verbis κῶλον ἔκπλεθρον δρόμου, pro quibus iam Reiskius proposuit legendum κῶλον ἐκπλέθρου δρόμου receptum illud Kirchhoffio. Alii enim Reiskii coniectura accepta κῶλον intellegunt crus vel pedem [1]) atque ἐκπλέθρου δρόμου ex τερμόνων pendere statuunt, cum alii κῶλον ex analogia loci cuiusdam Aeschylei [2]) alteram partem curriculi esse velint, Wecklein contra, qui his verbis horum versuum sententiam adumbrat: *„ein schneller Fussgänger konnte in der Zeit rüstig ausschreitend ein Stadion zurücklegen"* toto loco omnino non de curriculo, sed de solo itineris spatio cogitet. At mea quidem sententia ipsa voce τερμόνων nobis utique cogitatio curriculi offertur nec non verbis antecedentibus ἔκπλεθρον δρόμου. Accedit, quod Euripides et loco supra tractato (Electr. v. 883) ἔκπλεθρος de curriculo usurpavit et alio loco a curriculo similem temporis descriptionem petivit, cfr. Electr. v. 824: θᾶσσον δὲ βύρσαν ἐξέδειρεν ἢ δρομεὺς Λισσοὺς διαύλους ἱππίους διήνυσε κτλ. Quae cum ita sint, equidem facere non possum, quin eis assentiar, qui κῶλον alteram curriculi partem interpretantur, quae sententia et eo adiuvatur, quod κῶλον loco illo Aeschyleo eodem sensu occurrit, et eo quod iam non opus est traditum *ΕΚΠΛΕΘΡΟΝ* immutare. Quamquam mutatione verborum traditorum prorsus supersedere non possumus. Nam lectio vulgata ἀνέλκων, quae ne eis quidem ex omni parte satisfacere potest, qui κῶλον pedem intellegunt — cfr. quae Hartung hac de re apte adnotavit — emendetur necesse est. Nec satis est cum Hartungio literas traditas in duo vocabula *(ἂν ἕλκων)* dissecare, nam ἕλκειν κῶλον δρόμου, quod intellegam, nullo modo dici potest de cursore, qui spatium emetitur, quaeque Hartung ad hanc interpretationem adiuvandam protulit, nihil valent. Itaque ad coniecturam confugiendum erit. Atque e coniecturis propositis mihi quidem maxime arridet Useneri illud ἂν ἕρπων, cum ἕρπειν verbum apud tragicos usitatissimum sit notione eundi atque cum accusativo viae saepius reperiatur coniunctum, ita ut κῶλον ἔκπλεθρον δρόμου optime sequi possit. — Iam vero eas quoque offensiones breviter attingam, quae sunt in v. 1182. Atque Dindorf in dubium vocat vocabulum βαδιστής, cuius exempla apud scriptores medii tantum aevi reperiantur. Sed cum βαδίζειν verbum inde ab antiquissimis temporibus apud Graecos in usu sit, singulis autem locis saepius singula vocabula occurrant, videtur Dindorf nodum, ut aiunt, in scirpo quaerere. Quod vero Wecklein et Arnim dubitant ταχὺς βαδιστής verba coniuncta eodem fere sensu accipere quo δρομεύς, vereor ne viri docti nimis sint scrupulosi, praesertim in poetae dictione recensenda. Ceteroquin cfr. Rhes. v. 133 sq.: τί γὰρ ἄμεινον ἢ Ταχυβάταν νεῶν κατόπταν μολεῖν Πέλας κτλ. —

Denique facere non possum, quin Weckleinium impugnem, qui in appendice critica de verbo ἀνθάπτεσθαι adnotat: *„dann ist ἀνθήπτετο für den Sinn unserer Stelle durchaus unpas-*

---

[1]) Ita scholiasta quoque interpretatur: ἀνακουφίζων ἑαυτοῦ τὸν πόδα, τουτέστι μεγάλοις καὶ ταχέσι πηδήμασι χρώμενος, ἵνα πρὸς τὸ τέλος ἀφίκοιτο τοῦ δρόμου, τουτέστι τὸν καμπτῆρα. Atque hanc certe significationem habet κῶλον paucis versibus ante (v. 1169): χωρεῖ τρέμουσα κῶλα.

[2]) *Agam. v. 344:* κάμψαι διαύλου θάτερον κῶλον πάλιν.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

send; es verleitete nicht ohne Grund die Scholiasten zu Erklärungen wie ἡ ταχεῖα νόσος ὀξὺ καὶ ὑπέρμετρον βαίνουσα τῶν μυελῶν αὐτῆς ἀνθήπτετο (τῶν ὀστῶν αὐτῆς ἀνθήπτετο); denn in diesem Sinne wird ἀνθάπτεσθαι gebraucht (vgl. 55)." Sed non sola hac sententia usurpatur, cfr. Eur. Hec. v. 273 sqq.: *ἥψω τῆς ἐμῆς, ὡς φής, χερὸς Καὶ τῆσδε γραίας προσπίτνων παρηίδος· Ἀνθάπτομαί σου τῶνδε τῶν αὐτῶν ἐγώ κτέ.*, ubi principalem significationem verbi habes. Praeterea autem cum *ἀνθάπτεσθαι* verbum omnino non saepius quam quinquies apud Euripidem, semel tantum apud Sophoclem *(Trach. v. 778)* occurrat, in Aeschyli fabulis plane desit, non video, quo iure Wecklein unam illam significationem huic verbo attribuat, praesertim cum in *ἀντιλαμβάνεσθαι* verbo identidem assequendi vis, quam nostro loco *ἀνθάπτεσθαι* verbo subiectam esse contendo, insit, veluti *Thuc. III, 22: πρὶν σφῶν οἱ ἄνδρες οἱ ἐξιόντες διαφύγοιεν καὶ τοῦ ἀσφαλοῦς ἀντιλάβοιντο,* ibid. *VII, 60: ἀποχωρεῖν ἢ ἂν τάχιστα μέλλωσί τινος χωρίου . . . φιλίου ἀντιλήψεσθαι.*

Iam vero ab hoc ancipiti et lubrico loco ad numerum quaternarium transgredientibus nobis mira quaedam ubertas occurrit compositorum, quorum usus praeter ceteros nominandus est Euripideus. Sunt adiectiva *τετράπους**, *τετρασκελής*, *τέθριππος**, *τετράμοιρος**, *τετράμορφος**, *τετράπτολις** [1]), e quibus unum *τετρασκελής* semel apud Aeschylum et Sophoclem reperitur. Exordiamur ab adiectivis, quae idem valent quod latine quadrupes. Sunt *τετράπους* et *τετρασκελής*, quorum hoc poeticum quendam prae se fert colorem, illud satis vulgare est.

Atque quae leguntur Hec. v. 1058: *τετράποδος . . . θηρός*, Phoen. v. 639: *τετρασκελὴς μόσχος* per se intelleguntur. Audaciore vero adiectivorum cum substantivis coniunctione insignes sunt loci, qui sequuntur. Rhes. v. 211 Dolon, postquam cum choro communicavit se pelle lupina indutum in Argivorum castra speculatorem iturum esse, pergit: *τετράπουν μιμήσομαι Λύκου κέλευθον*, quorum verborum bene memor paullo post chorus a Dolone relictus secum reputat v. 254 sqq.: *Τὶν' ἄνδρ' Ἀχαιῶν ὁ πεδοστιβὴς σφαγεὺς Οὐτάσει ἐν κλισίαις, τετράπουν Μῖμον ἔχων ἐπὶ γᾶν Θηρός*; Utroque loco *ἐναλλαγή* q. v. statuenda est, nam ut *τετράπουν λύκου κέλευθον* [2]) dicta sunt pro *τετράποδος λύκου κέλευθον*, ita posteriore loco audacius quam pulchrius *τετράπουν* cum *μῖμον*, non cum *θηρός* copulatum est. Rursus *τετρασκελής* invenitur audacius positum Herc. fur. v. 181, ubi Centauri *(Κενταύρων γένος)* vocantur *τετρασκελὲς ὕβρισμα* i. e. *τετρασκελεῖς ὑβρισταί*, [3]) et ibid. v. 1271 sqq., quo loco Hercules haud vana virtutum conscientia elatus quaerit:

ποίους ποτ' ἢ λέοντας ἢ τρισωμάτους
Γηρυόνας ἢ Γίγαντας ἢ τετρασκελῆ [4])
κενταυροπληθῆ πόλεμον οὐκ ἐξήνυσα;

Iam si sumpseris ita versus recte constitutos esse (vide infra), habes mire coniuncta *πόλεμον τετρασκελῆ κενταυροπληθῆ*, quae recte Wilamowitz interpretatur: *πόλεμον πρὸς τετρα-*

[1]) Adiectiva *τετραβάμων* et *τετράορος (τέτρωρος)*, quae fortasse hoc loco desideraverit quis, cum sint determinativa, in particula altera tractabuntur. Idem valet de *τετράζυγος*.

[2]) Cfr. *Aeschyl. Agam. v. 80: τρίποδας μὲν ὁδοὺς στείχει*, de sene imbecillo baculoque levato dicta.

[3]) Haud inepte viri docti contulerunt Soph. Trach. v. 1095 sq., ubi Hercules Centauros describit: *διφυῆ τ' ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατὸν Θηρῶν, ὑβριστὴν κτλ.*

[4]) Traditum *τετρασκελεῖς* correxit Reiskius; *Γηρυόνας* pro vulg. *Τυφῶνας* debetur Elmsleio. Utramque hanc emendationem admodum probabilem in textum receperunt Kirchhoff et Nauck, cum Klotz *Τυφῶνας* retinuerit, Dindorf vero Hartungium secutus scripserit: *ποίους πρὸς ἢ λέοντας ἢ τρισώματους Τυφῶνας ἢ Γίγαντας ἢ τετρα-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

σκελεῖς, ἐν ᾧ πληθύουσι Κένταυροι. Nec possum facere, quin eis quoque accedam, quae praeterea adnotat vir doctus: *„ein ganz barocker ausdruck, wie sie Eur. mit steigendem alter immer mehr sich erlaubt . . . Dass hier die bestien mit solchem bombast geschildert werden, ist freilich berechtigt. Hinzu kommt aber, dass πόλεμον ἐξήνυσα eintritt, wo doch die accusative λέοντας Γίγαντας u. s. w. ein einfaches κατεπολέμησα erwarten liessen. Dieses anakoluth erweckt den eindruck der überfülle ebenso wie die rhetorischen plurale.“* — De *τρισώματος* voce postea videbimus. —

Pergamus ad *τέθριππος* adiectivi usum breviter excutiendum. Atque cum significet eum, qui quattuor equos habet, saepius eodem modo quo *τετράορος* ad currum quadriiugum indicandum usurpatur. Uti exstant Suppl. v. 501: *τέθριππον ἅρμα*, Hipp. v. 1212: *τέθριππος ὄχος*, fragm. 771, 2: *ἐκ τεθρίππων ἁρμάτων*, item Heracl. v. 802: *ἐκβὰς τεθρίππων Ὕλλος ἁρμάτων πόδα Ἔστη κτλ.* Troad. v. 855 sq. de Tithono, Laomedontis filio, quem Eos quadrigis in Olympum avexerat, leguntur: *ὃν ἀστέρων τέθριππος ἔλαβε χρύσεος ὄχος ἀναρπάσας*, quae bene vertit Hartung: *„den einst ein goldner Sternenwagen trug empor zum Morgenroth“*. Simili modo Phoen. v. 1562 solis quadrigae vocantur *τέθριππα ἅρματα ἀελίου*, quocum conferas Electrae verba v. 866: *ὦ φέγγος, ὦ τέθριππον ἡλίου σέλας*, ubi habes adiectivum cum nomine regente *σέλας* copulatum, ut tria vocabula *τέθριππον ἡλίου σέλας* quodammodo in unam notionem coalescant. Denique *τέθριππος* adiectivi loco positum est Helen. v. 386, ubi poeta equorum certamen, in quod Pelops descendit cum Oenomao, vocat *τὰς τεθρίππους ἁμίλλας*. — Non minus frequenter vero pro appellatione usurpatur solum *τέθριππον* eadem sententia qua *τέθριππον ἅρμα*. Sic legimus Suppl. v. 927 Amphiaraum vivum a deis in terrae hiatum esse abreptum *αὐτοῖς τεθρίπποις* i. e. una cum quadrigis suis. — Alc. v. 428 sq. Admetus, cum velit omnes Thessalos imperio suo subiectos luctus sui acerbi socios esse, praescribit:

τέθριππά θ' οἳ ζεύγνυσθε καὶ μονάμπυκας
πώλους, σιδήρῳ τέμνετ' αὐχένων φόβην.

Atque de more, ex quo Thessali aliique antiquitatis populi magno luctu affecti equorum iubas tondere solebant, cfr. quae Pflugk et Bauer adnotaverunt; de *μονάμπυξ* vero voce postea agemus. Item leguntur Herc. fur. v. 177: *Διὸς κεραυνὸν δ' ἠρόμην τέθριππά τε*, quo de loco vide, quae exposuit Wilamowitz, qui quidem non sine probabilitate aliqua particulam *δέ* omisit, et ibid. v. 380: *τεθρίππων τ' ἐπέβα . . . Διομήδεος*, de Hercule dicta. Deinceps huc pertinet Ion. v. 1241 sqq. Hic chorus, qui constat e Creusae famulis, perterritus quaerit, quo fugiat *τεθρίππων Ὠκίσταν χαλὰν ἐπιβᾶσ' Ἢ πρύμνας ἐπὶ ναῶν*, in quibus verba *τεθρίππων ὠκίσταν χαλάν* haud dubie poetica cum audacia dicta sunt pro *ὠκίστων τεθρίππων*, sed simul eis *ὠκύποδες ἵπποι* elegantissime praedicantur. Qui restant loci rursus de solis quadrigis exhibent *τέθριππον* positum. Iphig. Aul. v. 156 sqq. Agamemno servum senem, ut festinet, impellit hisce verbis: *ἴθι. λευκαίνει Τόδε φῶς ἤδη λάμπουσ' ἠὼς*[1])

σκελεῖς Κενταυροπληθῆ πόλεμον οὐκ ἐξήνυσα; in quibus quid sibi velint *τετρασκελεῖς Κενταυροπληθῆ πόλεμον κτλ.* ne Loxias quidem dixerit. Nec magis mihi probatur, quod nuperrime Wilamowitz ex Plutarchi libro *de fort. Alex. II, 10* in textum recepit *πελωρίους* pro *τρισωμάτους*, retinuit vero *Τυφῶνας*. Nam loco illo allato *πελώριος* est epitheton Gigantium, non Typhoeorum, et insuper satis constat scriptoribus veteribus in verbis laudandis minorem fidem habendam esse.

[1]) Kirchhoff coniecit *λάμπει δ' Ἠώς*, qua tamen correctione non opus videtur; cfr. quae Weil explicavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Πῦρ τε τεθρίππων τῶν Ἀελίου. Praeterea huc rettulerim Helen. v. 340 sqq., ubi Helena interrogat: *τί μοι πόσις μέλεος ἔτλα; Πότερα δέρκεται φάος Τέθριππά τ' ἀελίου Ἐς κέλευθά τ' ἀστέρων;* Haec est Laurentiani scriptura [1]); quam si sequimur, id certe, quantum equidem perspicio, apparet verba *τέθριππα ἀελίου* per se esse intellegenda, non vero coniungenda cum *κέλευθα*, quod vocabulum potius ad *ἀστέρων* pertinet. Perperam igitur Rieck l. l. p. 16 coniunxisse videtur *τέθριππά θ' ἁλίου ἐς κέλευθα.* Adiungo fragm. 228, 4 sq.: *ἡνίκ' ἂν τακῇ χιὼν Τέθριππ' ἄγοντος ἡλίου κατ' αἰθέρα.* Superest Ion. v. 82 sq., ubi ipse Ion tempus matutinum esse indicat hisce verbis: *ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων Ἥλιος ἤδη λάμπει* [2]) *κατὰ γῆν.* Atque hoc loco *ἅρματα τεθρίππων* cum simili abundantia quadam dicta sunt qua *Aristoph. Nub. v. 1407: ἵππων τέθριππον,* cum utroque loco solum *τέθριππον* satis esset. — Iam cum *τεθριπποβάμων* adiectivum a *τέθριππος* deductum in particulam posteriorem commentationis nostrae delegandum sit, statim ad composita attributiva *τετράμοιρος, τετράμορφος, τετράπτολις* nos convertamus, quorum unumquodque semel tantum comparet. Atque *τετράμοιρος νυκτὸς φυλακή,* quae leguntur Rhes. v. 5, primo obtutu videntur intellegenda: quadripartita noctis vigilia. Sed cum ex verss. 542 et 562 fabulae manifestum sit quinque vigilias esse discernendas, e quibus quartas milites Troiani initio fabulae agunt, illa profecto explicatio admitti nequit. Et iam scholiastae magnopere haesitaverunt in verbis traditis enucleandis. Difficultatem autem eo expedire studuerunt, quod *τετράμοιρον νυκτὸς φυλακήν* interpretati sunt *τὴν τετάρτην φυλακήν,* quam explicationem etiam Schmidt l. l. p. 54 et Rieck l. l. p. 9 acceperunt. Nec potest negari tragicos atque imprimis Euripidem saepius compositis numeralibus ita uti, ut posterior pars plane fere delitescat. Qua de re cum in parte altera disputationis nostrae accuratius agere nobis in animo sit, hic tantum affero *Aesch. Agam. v. 872: χθονὸς τρίμοιρον χλαῖναν ἐξηύχει λαβών,* ubi sane *τρίμοιρος* nihil aliud est nisi triplex. Itaque in scholii illa interpretatione acquiescendum videtur, nisi forte mavis *τὴν τετράμοιρον νυκτὸς φυλακήν* intellegere vigiliam, quae est quartae partis *τῶν φυλάκων,* cum omnino quinque partes sint [3]). — Transeo ad fragm. 943, si modo est Euripidis, ubi *ὧραι,* quattuor anni tempora, dicuntur *τετράμορφοι,* quadriformes, ut diversa uniuscuiusque facies breviter significetur. — Denique *τετράπτολις* apud solum Euripidem adiectivi vice fungitur, cum alioquin substantivum sit. [4]) Heracl. v. 80 enim poeta chorum civium Atheniensium ex Iolao cum Heraclidis in Atticam profecto facit quaerentem: *σὺ δ'* [5]) *ἐκ τίνος γῆς, ὦ γέρον, τετράπτολιν Ξύνοικον ἦλθες λαόν;* Significant hic verba *τετράπτολις λαός* ad *τετράπολιν* illam Atticam referenda, de qua cfr. Bauer ad v. 32, populum, qui in quattuor oppidis habitat.

---

[1]) Est locus multum temptatus. Hermannus edidit: *τέθριππά τ' εἰς ἁλίου, Εἰς κέλευθά τ' ἀστέρων,* Dindorf: *τέθριππά θ' ἅρμαθ' ἁλίου* et versu seq. Hartungium secutus: *λεύσσει κέλευθά τ' ἀστέρων,* Nauck denique, qui ex Badhamii coniectura *ἁλίου* in textum recepit, *ἐς* vocem, quae sine dubio ab hoc loco satis aliena est, uncis inclusit.

[2]) Pro *λάμπει,* quo iure quodam offendatur quis in hoc verborum contextu, Musgravius *κάμπτει* proposuit legendum, cum L. de Sybel rursus dictioni subventurus *λευκά* pro *λαμπρά* coniceret.

[3]) Hanc quoque explanationem scholion indicare videtur his verbis: *τὴν τετάρτην μοῖραν τῶν φυλακῶν οἱ Τρῶες εἶχον.* — Hartung quidem, quae est eius temeritas, cum huiusmodi explicationem verborum traditorum fieri posse utique neget, violentissime verss. 542 et 562 sq. fabulae immutavit, ut *πέμπτην φυλακήν* removeret, qua in re eius vestigia neminem puto secuturum esse.

[4]) Item apud solum Pindarum *ol. VII, 18 τρίπολις* adiectivi loco positum invenitur.

[5]) Codd. *ὅδ'*, quod optime Tyrwhittus correxit, quem omnes recentiores editores secuti sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Porro procedant composita a ternione petita, cuius apud Graecos non minus quam apud Germanos maxima erat vis et gravitas [1]). Atque quo maius erat pondus huius numeri in vita publica et privata, in rebus sacris et profanis, in artibus [2]) et litteris, eo minus habet admirationis, quod infinita fere exstat copia adiectivorum cum illo copulatorum. Euripidea sunt haec: τρίκορυς* et pleniore forma τρικόρυθος*, τρίκρανος, τρισώματος, τριπάρθενος*, τρίπηχυς*, τρίπωλος*. Primum placet inquirere in adiectiva cognata τρίκορυς et τρικόρυθος, quae ut omnino Euripidis propria sunt, ita singulis tantum locis occurrunt. Leguntur Bacch. v. 123 τρικόρυθες Κορύβαντες et Or. v. 1480 τρικόρυθος Αἴας, quae quomodo intellegenda sint, magnopere ambigitur. Atque scholion, quod exstat ad Or. v. 1480 ita explicat: τρικόρυθος: ὁ μεγάλην ἔχων περικεφαλαίαν, [3]) ὅμοιον δέ ἐστι τῷ „τρίπτυχος αὐλῶπις", ἢ ὅτι ἔνιοι τῶν ἡρώων τριλόφοις ἐχρῶντο. Vides igitur tres sententias hic proferri admodum diversas, quibus quarta accedit interpretatio Lobeckii, qui (immemor ille loci Orestae) respectu habito scholii *Eustath. ad Il. X, 258* [4]) ad *Soph. Ai. v. 847* censuit τρικόρυθας Κορύβαντας ita fortasse appellatos esse, „*quod crepido triplex trium galearum sibi superimpositarum speciem referret.*" Et hanc sane explicationem post Schoenium Wecklein suam facit, utpote qui ad Baccharum locum adnotet: „*der hohe Helm war durch einen dreifachen Rand geteilt*", cum alii ex posteriore scholiastae explanatione τρίκορυς vel τρικόρυθος idem esse velint quod τρίλοφος. Sed sive hanc, sive illam interpretationem sequeris, semper notio gravissima cogitatione suppleatur necesse est. Itaque haud scio an explicatio, quam alteram scholiasta protulit, praeferenda sit, ut τρίκορυς vel τρικόρυθος is intellegatur, qui triplicem galeam i. e. galeam tribus coriis vel laminis confectam habet. Accedit, quod haec interpretatio quam maxime sustentatur loco Homerico, quem haud dubie iam designavit scholiasta. Nam *Il. XI v. 352 sq.* Hectoris galea, quam ei Phoebus Apollo donavit, vocatur „τρυφάλεια τρίπτυχος αὐλῶπις", veri simillimum ut sit epithetis τρίκορυς atque τρικόρυθος eum significari, qui τρυφάλειαν τρίπτυχον habeat [5]). — Transeo ad locos aliquot Herculis furentis, in quibus adiectiva τρίκρανος et τρισώματος nobis se offerunt. Atque τρίκρανος, triceps, eodem modo atque apud Sophoclem [6]) de Cerbero usurpatur, qui apud *Hesiodum Theogon. v. 312* πεντηκοντακέφαλος, apud *Horatium Od. II, 13, 34 belua centiceps* vocatur, qua de discrepantia cfr. supra p. 9. Veluti v. 611 Hercules ipse Amphitryoni interroganti affirmat: καὶ θῆρά γ' εἰς φῶς τὸν τρίκρανον ἤγαγον, quae postea subtilius etiam circumducit coram Theseo v. 1276 sqq.: . . κεἰς νεκροὺς ἀφικόμην, Ἅιδου πυλωρὸν κύνα τρίκρανον εἰς φάος Ὅπως πορεύσαιμ' ἐντολαῖς Εὐρυσθέως. Minus accurate eundem canem initio fabulae v. 24 Amphitryon

[1]) Cfr. *Welcker, Griech. Götterlehre I p. 52 sqq.*

[2]) Satis notum est artifices graecos numero ternario tanquam rotundo ad copiam significandam in signis fingendis maxime usos esse.

[3]) Ne quis miretur hoc loco a scholiasta vocem τρικόρυθος explicari ὁ μεγάλην ἔχων περικεφαλαίαν, cfr. *Lehrs, „Die Pindarscholien" Leipzig 1873 p. 5.*

[4]) Φάλοι, ὀμφαλοὶ ἀσπίσι μικραῖς παραπλήσιοι· καὶ κεῖνται κατὰ τὸ μέτωπον, ὑπερέχοντες τῶν ὀφρύων, ἀποσκιάζοντες τὴν τοῦ ἡλίου αὐγήν, οἷαι τῶν Παλλαδίων καὶ τῶν Κορυβάντων αἱ κόρυθες. (tom. II p. 803).

[5]) Quod Autenrieth in lexico Homerico quamvis dubitanter τρίπτυχος hoc loco voce τρίφαλος explicavit et vertit „*dreiwulstig*", minus prudenter fecit. Immo vertendum erat „*dreischichtig*". Cfr. *W. Helbig, „Das homerische Epos aus den Denkmälern erläutert". Leipzig 1884 p. 204.*

[6]) *Trach. v. 1098:* Ἅιδου τρίκρανον σκύλακα. Similiter apud poetas Latinos Cerberi sunt epitheta: tergeminus, triceps, triformis, trifaux, trilinguis, cuius usus satis multa exempla congessit *F. Seitz, „de fixis poetarum Latinorum epithetis", part. I, progr. gymn. Elberf. 1890 p 14.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vocat τὸν τρισώματον κύνα, canem tricorporem. Quod quidem ad τρισώματος adiectivi usum enucleandum nos traducit. — Usurpatur de Geryone, Erytheae illo rege vere tricorpore, qui iam ab Aeschylo *Agam. v. 870* τρισώματος vocatur [1]). Sic Herc. fur. v. 423 sq. Herculem canit chorus sagittis veneno anguis Lernaeae infectis occidisse „τὸν τρισώματον βοτῆρ' Ἐρυθείας." De eodem Geryone, siquidem callidam Elmslei coniecturam sequimur, habes adiectivum adhibitum Herc. fur. v. 1271 sq., qui locus iam supra pag. 16 allatus est. Denique τρισώματος exstat Ion. v. 204, ubi de Bellerophonte leguntur: τὰν πῦρ πνέουσαν ἐναίρει Τρισώματον ἀλκάν. Atque hic verbis τὰν πῦρ πνέουσαν τρισώματον ἀλκάν Chimaeram, fabulosum illud monstrum tricorpor, significari, ἀλκή vero abstractum poetice pro θηρίον ἄλκιμον positum esse nemo non videt.

Subiungo Cycl. v. 234 sqq., ubi Silenus apud Cyclopem de Ulixe eiusque sociis haec ementitur: δήσαντες δὲ σὲ Κλῳῷ τριπήχει κατὰ τὸν ὀμφαλὸν [2]) μέσον Τὰ σπλάγχν' ἔφασκον ἐξαμήσεσθαι [3]) βίᾳ. Fingit igitur hoc loco Silenus, ut cetera omittamus, Ulixem eiusque comites minitatos esse se Cyclopem κλῳῷ τριπήχει i. e. collari in tres ulnas extenso constricturos esse. Praeter hunc locum τρίπηχυς apud Euripidem non exstat. Neque tamen occasio deerat huius epitheti adhibendi, nam paullo post in eadem fabula v. 390 sq. ab Ulixe poculum Cyclopis depingitur hunc in modum: σκύφος εἰς εὖρος τριῶν πήχεων. Atque, ni fallor, posteriore loco poeta ideo magnitudinem poculi tam copiose tantisque ambagibus indicavit, quod eam ut usu maiorem quam maxime praedicare voluit. — Extremum est, ut de adiectivis τρίπωλος et τριπάρθενος disseramus, de quibus hoc apud solum Euripidem et etiam illud admodum raro reperitur. Non est igitur, quod miremur ea singulis tantum locis Euripideis exstare. Atque τρίπωλος, quod eum significat, qui tres equos habet, occurrit in Andromacha cum ἅρμα coniunctum. Quae verba copulata, ut proprie trigam indicant, ita translate ad triadem circumscribendam usui sunt eodem modo, quo ἀπήνη, ζεῦγος, ξυνωρίς saepius ad quodvis par declarandum adhibentur. Quo de usu cum in particula altera diligenter atque ordine agere nobis propositum sit, hic satis habeo locum illum proposuisse. Leguntur Andr. v. 275 sqq.:

Ἰδαίαν ἐς νάπαν
ἦλθ' ὁ Μαίας τε καὶ Διὸς τόκος,
τρίπωλον ἅρμα δαιμόνων
ἄγων τὸ καλλιζυγές κτλ.,

quae verba spectant ad tres deas Iunonem, Minervam, Venerem in Paridis iudicium a Mercurio adductas Similiter Euripides fragm. 357 tres Erechthei filias ζεῦγος τριπάρθενον vocat [4]).

---

[1]) Cfr. praeterea *Aesch. fragm. Heracl. 74*:

ἐκεῖθεν
ὁρμενος ὀρθόκερως βοῦς ἤλασ' ἀπ' ἐσχάτων
γαίας, ὠκεανὸν περάσας ἐν δέπᾳ χρυσηλάτῳ
βοτῆράς τ' ἀδίκους κατέκτα δεσπότην τε τρίπτυχον
τρία δόρη πάλλοντα χερσίν.
τρία † διὰ τῆς σάκη προτείνων τρεῖς τ' ἐπισσείων λόφους
στεῖχεν ἴσος Ἄρει βίαν.

Cfr. etiam *Horat. od. II, 14, 8*: *ter amplum Geryonem; Verg. Aen. VI v. 289*: *forma tricorporis umbrae; ibid. VIII v. 202*: *tergemini nece Geryonae; Lucret. V v. 28*: *tripectora tergemini vis Geryonai.* Cfr. *F. Seitz l. l. p. 14.*

[2]) Ita ex Scaligeri emendatione luculenta pro tradito ὀφθαλμόν iure scribi solet.

[3]) Auctore Duporto scripturam ἐξαμήσασθαι in ἐξαμήσεσθαι editores recentiores mutaverunt.

[4]) Cfr. *Hesychius s. h. v.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iam vero quasi agmen epithetorum attributorum claudant ea, quorum pars prior ad numerum binarium vel singularem revocanda est. Quibus utrisque hoc commune est, quod non cum ipsis nominibus numeralibus δύο vel εἷς, sed cum vicariis quasi vocibus δίς (δίχα) vel μόνος composita sunt. Atque prioris generis adiectiva Euripidea huc referenda sunt: δικόρυφος*, δίκωπος*, δίπορος*, διπόταμος*, δίστομος, δίχηλος*, διχόμυθος* [1]). Quibus omnibus peculiare dicendi genus Euripidis illustratur excepta, ut videtur, δίστομος voce, quae etiam apud Sophoclem occurrit. At si accuratius in rem inquisiveris, cognosces etiam in hoc adiectivo usurpando poetas neutiquam consentire. Nam cum Sophocles δίστομος proprie adhibeat de antro duo ora vel ostia habente *(Phil. v. 16)* et de viis, quae a duabus partibus in unum quasi confluunt *(Oed. Colon. v. 900)*, apud solum Euripidem δίστομος sensu multo artificiosiore usurpatur de telo utrimque acuto, cuius duplex acies duplici quasi στόματι comparatur, ita ut aeque atque posterius ἀμφίστομος valeat: utrimque scindens vel anceps. Nihil aliud igitur significat quam ἀμφίτομος vel ἀμφήκης vel ἀμφιδέξιος [2]), quae adiectiva et ipsa in Euripidis tragoediis obvia sunt [3]). Atque ut haec epitheta de telis maximeque de gladio posita reperiuntur, ita leguntur Helen. v. 983: δίστομον ξίφος τόδε et ibid. v. 1044: τῷδε διστόμῳ ξίφει, fragm. 530, 5: πελέκεως δὲ δίστομον γέννν, bipennis aciem ancipitem, denique Or. v. 1303: δίπτυχα δίστομα φάσγανα, ad quae Klotz et Weil monent δίπτυχα accuratius explicari voce fere synonyma δίστομα. Sed etsi consentiunt viri docti hac in re cum scholiasta [4]), tamen haud scio an δίπτυχα φάσγανα hoc loco simpliciter intellegenda sint duo gladii, cum δίπτυχος adiectivum hoc sensu identidem apud Euripidem occurrat ex peculiari poetae usu, de quo plura in parte altera. Duo autem enses optime hic commemorantur, quoniam Orestes et Pylades cum suo quisque gladio (cfr. v. 1346) domum intraverunt, ut Helenam interficiant [5]).

Iam δικόρυφος, bivertex, ad quod transire placet, aeque atque δίλοφος apud Sophoclem *Antig. v. 1126* de Parnasso bicipiti [6]) exstat. Bacch. v. 306 sq. Tiresias ad Pentheum de Baccho haec verba facit: ἔτ' αὐτὸν ὄψει κἀπὶ Δελφίσιν πέτραις Πηδῶντα σὺν πεύκαισι δικόρυφον πλάκα. Similiter Phoen. v. 226 sq. verba πυρὸς δικόρυφον [7]) σέλας indicant flammam, quae in duobus Parnassi verticibus noctu lucere solebat, „quam qui videbant Bacchum utraque manu facem gestantem cum solito famularum comitatu saltare credebant". — Ut Parnassus duobus verticibus, ita Thebarum urbs duobus rivis, Ismeno et Dirce [8]), qui praeterfluebant moenia, insignis erat, quapropter iure vocatur Suppl. v. 621 διπόταμος πόλις. Atque διπόταμος adiectivum hic usurpatum ἅπαξ εἰρημένον est. Idem valet de epitheto δίπορος, quod cum sit „duas vias habens",

[1]) De διώνυμος adiectivo, quod si formationem solam spectes, huc pertinet, in parte altera agemus.

[2]) De hoc adiectivo cfr. *Schmidt l. l. p. 72 sq.*

[3]) Hipp. v. 1375: ἀμφιτόμου λόγχας, Electr. v. 164: ξίφεσιν ἀμφιτόμοις, ibid. v. 688: ἀμφήκει ξίφει, Hipp. v. 780: ἀμφιδέξιον σίδηρον.

[4]) Cfr. schol. δίπτυχα: διπλᾶ διὰ τὴν ὀξύτητα.

[5]) Perperam Hartung adiectivum δίστομος in adnotatione ad h. l. interpretatur: „*doppelte Wunden machend*".

[6]) Cfr. *Ovid Metam. II, 221.*

[7]) Kirchhoff quidem in editione maiore δικορύφων scripsit, quod cum ἄκρων sequente coniungi vult, sed sine iusta causa codicum scripturam neglexit neque quisquam recentiorum editorum eum secutus est. Quin etiam postmodo in editione minore semet ipse deseruit.

[8]) Pravissime Fritze in adnotatione de Asopo fluvio cogitat, qui quidem longius a Thebis aberat. Cfr. etiam Phoen. v. 825 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Troad. v. 1097 occurrit de Isthmo Corinthio positum, unde duplex aditus ad mare est. Metuit enim chorus captivarum Troianarum, ne Graeci se abducant ἢ Σαλαμῖν' ἱερὰν Ἢ δίπορον κορυφὰν Ἴσθμιον κτλ. [1]) — Contra bis legitur apud Euripidem in una eademque fabula δίκωπος adiectivum, quod de navigiis adhibetur, quae duobus tantum remis aguntur. Itaque apte ab Euripide attribuitur Charontis scaphae, quam biremem fuisse ipse quoque Charon testatur in Luciani dialogo *Char. c. 1* his verbis: ἐγὼ πρεσβύτης ὢν τὴν δικωπίαν ἐρέττω μόνος, quocum conferas Alc. v. 252: δίκωπον σκάφος et ibid. v. 444: ἐλάτᾳ δικώπῳ.

Relinquuntur nobis breviter tractanda epitheta δίχηλος et διχόμυθος, quae singulis tantum locis comparent. Atque δίχηλος, oppositum adiectivis μονόχηλος, μῶνυξ, μώνυχος, quae et ipsa in Euripidis fabulis reperiuntur (vide infra), est „bisulcus". Sic Bacch. v. 740 nuntius, postquam Pentheo narravit a Bacchis furibundis iuvencas laceratas esse, hunc in modum pergit: εἶδες δ' ἂν ἢ πλεύρ' [2]) ἢ δίχηλον ἔμβασιν Ῥιπτόμεν' ἄνω τε καὶ κάτω, latine: videres ibi costas vel ungulas bisulcas huc illuc iactari. — Denique διχόμυθος adiectivum, quod num sit revera attributivum, fortasse addubitaverit quis, eum significat, qui duplici lingua utitur vel ambigua loquitur. Exstat Or. v. 890, ubi poeta facit nuntium de Talthybio praecone dicentem: ἔλεξε δ' ὑπὸ τοῖς δυναμένοισιν ὢν ἀεὶ Διχόμυθα, quae bene explicat scholiasta: ἀντὶ τοῦ διχόγνωμα, τοῖς κρατοῦσιν ἄλλοτε ἄλλα προσχαριζόμενος.

Sequitur, ut in extrema huius commentationis parte ea epitheta enucleemus, quae vocis μόνος ope ficta atque formata sunt. Quorum etiam maior est series quam adiectivorum, quae binarium numerum continent, nec minus ex illis proprietas elocutionis Euripideae elucet. Nam fere omnia a Sophoclis et Aeschyli oratione plane aliena nec pauca ἅπαξ εἰρημένα sunt. En omnia in uno conspectu posita: μονομήτωρ*, μονότεκνος*, μονοτράπεζος*, μονότροπος*, μονόπεπλος*, μονώψ, μονόπωλος*, μονόχηλος*, μῶνυξ*, μώνυχος* [3]). Placet autem singula ita percensere, ut primum ea adiectiva examinemus, quae ad hominem spectant. Initium fiat contemplandi ab epitheto μονότεκνος. Quod cum declaret eum, qui unicam habet prolem, Herc. fur. v. 1021 Procne illa, a qua Ityn, unicum filium, occisum atque Tereo marito epulandum appositum esse fama est, vocatur μονότεκνος. E contrario μονομήτωρ adiectivum Phoen. v. 1517 eum indicare videtur, qui matre orbatus est [4]), ut insit in priore compositi parte non tam numerandi quam seiungendi et privandi notio. Atque μόνος adiectivo aeque ac verbo μονοῦσθαι hanc vim saepius subesse satis constat, sed in epithetis cum μόνος compositis, quorum posterior pars ad nomen aliquod revocanda est, frustra hanc significationem deprehendere studui. Huc accedit, quod Hesychius μουνομήτορι explicat: ᾗ τῶν ἀδελφῶν μόνῃ μήτηρ ὑπάρχει, quae interpretatio per se satis probabilis est. At in Phoenissarum locum minime convenit. Nam in hac fabula Antigona de morte Eteoclis et Polynicis fratrum atque Iocastae matris certior facta ita queritur v. 1515 sqq.:

---

[1]) Cfr. „*bimaris Isthmus*" *Ovid. Trist. I, 11, 5; Metam. VI, 419; VII, 405* atque „*bimaris Corinthus*" ibid. *V, 407; Fast. IV, 501; Horat. od. I, 7, 2;* „*Ephyre bimaris*" *Ovid. epist. XII, 27.* Cfr. *F. Seitz l. l. p. 27.*

[2]) Traditum πλευράν Barnesius correxit.

[3]) Adiectiva μονόκωπος, μονάμπυξ, μονάμπυκος, quae hoc in numero fortasse requisiveris, propter usum peculiarem in particulam alteram transferre e re visum est.

[4]) Quae in vernaculo sermone primo obtutu comparari posse videntur „*mutterallein*" nec non „*mutterseelenallein*" plane aliter explicanda sunt, qua de re vide *Grimm, Wörterbuch s. h. v.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τίς ἄρ' ὄρνις ἢ δρυὸς ἢ ἐλάτας
ἀκροκόμοις ἀμφὶ κλάδοις
ἑζομένα μονομάτορος[1]) ὀδυρμοῖς
ἐμοῖς ἄχεσι συνῳδός;

quae scholiasta ita interpretatur: τίς ἄρα ὄρνις ἐστερημένη τῆς μητρός, ἑζομένη καὶ καθημένη ἐν τοῖς κλάδοις τῆς δρυὸς ἢ ἐν τοῖς κλάδοις τῆς ἐλάτης τοῖς εἰς ἄκρον κομῶσιν ἐστὶν ἐν τοῖς οἰκείοις ἄχεσι συνῳδὸς καὶ συνθρηνήτρια τοῖς ἐμοῖς ὀδυρμοῖς. Quam explicationem facere non possum quin probem, praeterquam quod scholiasta perverse μονομάτορος ad ὄρνις rettulit[2]), et recte alio scholio docemur avem intellegendam esse lusciniam lugubrem cantum edentem.

Ut vocabula tractata μονότεκνος et μονομήτωρ sunt ἅπαξ εἰρημένα, ita μονοτράπεζος quoque uno tantum loco eoque Euripideo exstat. Significat nimirum eum, qui singularis sive solitariae est mensae. Itaque Orestes in Iphigenia Taurica postquam exposuit se Athenas profectum primo ὡς θεοῖς στυγούμενον a nullo hospitio exceptum esse, hoc vocabulo utitur, ut indicet recepto sibi postea in separata tamen mensa epulas (ξένια μονοτράπεζα) appositas esse. Verba sunt haec v. 949 sq.: οἱ δ' ἔσχον αἰδῶ, ξένια μονοτράπεζά μοι Παρέσχον, οἴκων ὄντες ἐν ταὐτῷ στέγει, ad quae conferas, quae Koechly, Weil, Wecklein copiosius adnotaverunt. — Iam adiectivum μονοτράπεζος excipiat μονότροπος, quod cognatione quadam significationis cum illo coniunctum est. Cum enim proprie sit: unius sensus vel unius modi, interdum latius patens eum declarat, qui solivagus est vel vitam degit solitariam. Sic chorus Andr. v. 281 aptissime Paridem in solitudine gregem custodientem vocat: βοτῆρα μονότροπον νεανίαν. Alibi in Euripidis fabulis μονότροπος non reperitur nec frequentius usurpatur μονόπεπλος adiectivum, quod omnino Euripidis proprium est. Occurrit Hec. v. 933, ubi captivae Troianae, e quibus chorus constat, demonstrant se Troia expugnata singulis tantum vestimentis indutas e lectulis festinanter surrexisse et ad Dianae simulacrum frustra supplices confugisse. Leguntur haec:

λέχη δὲ φίλια μονόπεπλος
λιποῦσα, Δωρὶς ὡς κόρα,
σεμνὰν προσίζουσ'
οὐκ ἤνυσ' Ἄρτεμιν ἁ τλάμων.

De comparatione, quae est in verbis Δωρὶς ὡς κόρα, conferas velim Pflugkium et Weilium ad h. l. Progrediamur ad μονώψ adiectivum explorandum, quod bis apud Euripidem atque in una eademque fabula invenitur[3]). Valet idem quod soluta oratione apud Graecos μονόφθαλμος, apud Latinos „unoculus" et „cocles", et oppositum est quodammodo adiectivo Aeschyleo μυριωπός, quod Prom. v. 569 de Argo, custode illo Ionis, exstat. Atque ab Euripide Cycl. v. 21 haud inepte

---

[1]) Libri nonnulli praebent μονομάτερος.

[2]) Hermannus quidem, qui omnino summa cum audacia totum locum tractavit, contendens scholiastam μονομάτωρ legisse hanc scripturam in textum recepit eumque secutus est Hartung. Sed ex eis, quae hac de re protulit Klotz, veri simile evasit, scholiastam μονομάτορος pro nominativo habuisse. Nauck proposuit legendum: ἀκροκόμοισι κλάδοις ἑζομένα μονομάτορ' ὀδυρμὸν ἵησιν, quae minime placent; Dindorf Seidlerum secutus sine causa ὀδυρμοῖς e textu removit.

[3]) Apud Aeschylum forma ionica μουνώψ usurpatum videmus *Prom. v. 804* de fabuloso populo Arimasporum, quos Herodotus quoque *lib. III, 116* vocat μονοφθάλμους.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cyclopes nominantur *οἱ μονῶπες ποντίου παῖδες θεοῦ* et ibid. v. 648 ipsum Polyphemum poeta dicit *τὸν μονῶπα παῖδα γῆς*. De *μονοδέρκτης* epitheto, quod v. 78 eodem sensu usurpatur, in particula altera videbimus. — Iam ab oculis ad eam deam nos convertamus, quae antiquissimis temporibus deis mortalibusque „almam efferre lucem“ putabatur, ut oculorum acie omnes frui possent. Auroram *φαεσίμβροτον* dico, quam cum poetae veteres soleant bigis vel etiam quadrigis invehentem fingere, loco iam supra laudato p. 13 Or. v. 1004 *μονόπωλος*, uno equo usa, producitur. Quam rem bene explanat scholion: *Εὐριπίδης μὲν ἑνὶ ἵππῳ ἐποχεῖσθαί φησι τὴν Ἡμέραν (φασὶ δὲ τοῦτον εἶναι τὸν Πήγασον), ἄλλοι δὲ ἐπὶ δίφρου.* Sed alia iam exsistit difficultas eo, quod omnes codices ante *μονόπωλος* exhibent *προςαρμόσας* — in uno Vaticano *α* in fine verbi deletum rescripsit m. 2 Kirchhoffio teste — cum desideretur *προςαρμόσασα* ad antecedens *Ἔρις* referendum. Itaque Weil contendens littera *α* omissa comprobari *μονόπωλον* esse glossam in textum temere illatam pro vocabulo alio, quod a littera vocali inciperet, *οἰόπωλον* edidit. Quam coniecturam sagacissime sane excogitatam iam ideo dubitaverim accipere, quod Euripides adiectiva cum *οἶος* composita omnino videtur respuisse. Malim igitur cum Hermanno, Klotzio, Dindorfio, Nauckio *προςαρμόσασα* ante *μονόπωλον* restituere. — Quoniam *μονόπωλος*, quod solius Euripidis est, alibi non occurrit, placet ab uno illo Aurorae equo transire ad equos universos, quibus nonnulla a poeta attribuuntur epitheta, in quae hic inquirendum est. Cum enim omnes equi solidis ungulis sint, ab Euripide describuntur vocabulis prorsus synonymis *μῶνυξ*, *μώνυχος*, *μονόχηλος*, de quibus illud iam in Homeri carminibus equorum est appositum, haec Euripidis usum singularem illustrant.

Veluti Iphig. Aul. v. 225 chorus equos funales quadrigarum hisce verbis depingit: *μονόχαλα ὑπὸ σφυρὰ ποικιλοδέρμονας*, quae recte vertit Klotz: *„sub talis solidipedibus cute varia“*. In eadem tragoedia v. 250 Thesei filius dicitur insigne Atticarum navium habuisse Minervae effigiem *ἐν μωνύχοις πτερωτοῖσιν ἅρμασιν*, i. e. in curru alato, ad quem equi solidipedes iuncti sunt. Mira autem breviloquentia verba Graeca dicta esse apparet, cum *ἅρματα* vox hoc loco et equos *(μωνύχοις)* et currum *(πτερωτοῖσιν)* significet et fere nostro *„Gefährt“* vel *„Gespann“* respondeat. Cfr. de hoc usu Euripidis, ut videtur, atque Homeri proprio Suppl. v. 685: *ἔνθ' ἅρματ' ἠγωνίζεθ' οἵ τ' ἐπεμβάται*, Herc. fur. v. 881: *ἅρμασι δ' ἐνδίδωσι κέντρον*, Ion. v. 1570: *ἐφ' οἷσιν ἔζευξ' ἅρματ', εἰσακούσατον*. — Extremum est, ut breviter commemoremus adiectivum *μῶνυξ*, quod aeque atque adiectiva illa eiusdem significationis semel tantum comparet. Habes enim loco admodum contorto et in particula altera accuratius examinando Phoen. v. 793: *μώνυχα πῶλον* [1]).

Verum haec quidem hactenus. Quae restant eaque haud exigui momenti ad numerorum usum Euripideum illustrandum postero anno pertractare nobis in animo est. Interim „pax sit scribenti, lux sit concessa legenti.“

---

[1]) Ex veterum interpretum sententia profecto illa probabiliore quam quae commenti sunt horum temporum etymologi adiectivum *μῶνυξ* ex *μονῶνυξ* contractum est. Qua de re cfr. schol. ad h. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cyclopes nominantur *οἱ μο* . 648 ipsum Polyphemum poeta
dicit *τὸν μονῶπα παῖδα* 78 eodem sensu usurpatur, in
particula altera videbimus. convertamus, quae antiquissimis
temporibus deis mortalibus , ut oculorum acie omnes frui
possent. Auroram *φαεσίμβ* oleant bigis vel etiam quadrigis
invehentem fingere, loco ia *ονόπωλος*, uno equo usa, pro-
ducitur. Quam rem bene *νὶ ἵππῳ ἐποχεῖσθαί φησι τὴν*
Ἡμέραν (φασὶ δὲ τοῦτον *δίφρου*. Sed alia iam exsistit
difficultas eo, quod omnes *κρμόσας* — in uno Vaticano *α*
in fine verbi deletum resc sideretur *προςαρμόσασα* ad ante-
cedens *Ἔρις* referendum. ssa comprobari *μονόπωλον* esse
glossam in textum temere ittera vocali inciperet, *οἰόπωλον*
edidit. Quam coniectura ideo dubitaverim accipere, quod
Euripides adiectiva cum *οἰ* Malim igitur cum Hermanno,
Klotzio, Dindorfio, Naucki ituere. — Quoniam *μονόπωλος*,
quod solius Euripidis est, Aurorae equo transire ad equos
universos, quibus nonnulla hic inquirendum est. Cum enim
omnes equi solidis ungul bulis prorsus synonymis *μῶνυξ*,
μώνυχος, *μονόχηλος*, de s equorum est appositum, haec
Euripidis usum singularer

Veluti Iphig. Aul rum hisce verbis depingit: *μονό-*
χαλα ὑπὸ σφυρὰ ποικιλ b talis solidipedibus cute varia".
In eadem tragoedia v. 25 navium habuisse Minervae effigiem
ἐν μωνύχοις πτερωτοῖσι em equi solidipedes iuncti sunt.
Mira autem breviloquentia n *ἅρματα* vox hoc loco et equos
(μωνύχοις) et currum *(π* *Gefährt*" vel „*Gespann*" respon-
deat. Cfr. de hoc usu prio Suppl. v. 685: *ἔνθ' ἅρματ'*
ἠγωνίζεθ' οἵ τ' ἐπεμβάν δωσι κέντρον, Ion. v. 1570: *ἐφ'*
οἷσιν ἔζευξ' ἅρματ', εἰσο viter commemoremus adiectivum
μῶνυξ, quod aeque atque mel tantum comparet. Habes enim
loco admodum contorto inando Phoen. v. 793: *μώνυχα*
πῶλον [1]).

Verum haec qui d exigui momenti ad numerorum
usum Euripideum illustra in animo est. Interim „pax sit
scribenti, lux sit concess

[1]) Ex veterum inter quae commenti sunt horum temporum
etymologi adiectivum *μῶνυξ* ε ol. ad h. l.

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
R G B W K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf